



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

V. De Metu gestorum Rescissione, illiusque Probatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

risdictiōnis collationem, sive in aliquem translationem, cum Zabarella in c. *Abbas cit. V. Quintus Sanchez Lib. 3. disp. 39. n. 13.* & Lessio *cit. Lib. 2. cap. 18. n. 37.* & verisimiliter ipsam quoque illius prorogationem, extortam metu, non irritam, sed irritandam, cum Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 9. n. 6.* sustinet *disp. 22. de I. & L. n. 131.*

Iisdem casibus adiciuntur à nonnullis electio & renuntiatio beneficii Ecclesiastici: ab aliis juramentum, testis presentia in testamenti factiōne & ipsum testamentum: & rursum ab aliis sententia definitiva & actus alii gravi & injusto metu extorti: de quibus, quid vero consentaneum aut similis sit, propriis cuique locis jam dictum, aut in progressu discutietur ac statuetur. Hòc locò

50. Dubium moveri solet, an enumerati actus, si metu extorquentur, irriti sint Jure Naturali; hoc enim, præsertim de Matrimonio, de constitutione procuratoris ad id contrahendum & de Professione Religiosa non pauci & graves DD. affirmant; quòd, si eò Jure subsisterent, à Naturæ authore non satis occursum esset hominibus improbis, & probis atque innocentibus consultum; cum hos illi maximè injuriosa actiōne sibi firmiter atque omnino irrevocabiliter possent obligare. magnò commodò suò & incommodò proborum

51. Verum, quia ex DD. illis plerique ejusmodi actus injusto & gravi, non tamen ad eos extorquendos: & ad hos extorquendos metu levi: uti etiam dolo (circa rei substantiam non versante) extortos Jure Naturali, imò etiam Positivo validos asserunt: quantumvis per eos injuriam passi hanc inferentibus aut aliis irrevocabiliter obligentur, melius cum Sylvestro *V. Matrimonium 8. n. 21.* Navarri *Manual. cap. 22. n. 50.* &

aliis *cit.* Lessius *n. 42.* & Sanchez *disp. 8. n. 4.* eos Jure solum Positivo irritatos docent: etsi, quando possunt, sint rescindendi. Rationem reddunt; quòd non appareat sufficiens ratio à Natura inductæ nullitatis; cum ista non proveniat ab injuria; aliàs enim actus quicumque, istâ interveniente celebrati, irriti forent: neque ex defectu consensûs; cum voluntarium, à Natura ad valorem actûs requisitum metus non tollat, sed solummodo diminuat.

Neque propterea defectûs argui potest Natura; cum nocentes à metu inferendo absterruerit timore poenarum & obligationis pro illata injuria exhibendi congruam satisfactionem: atque insuper legitimo Magistratui dederit potestatem, illos, si invalescente malorum improbitate innocentibus periculosi & meritò timendi cum tempore viderentur, irritandi, ut *Lib. 4. Tit. 1. de Matrimonio* plenius ostenditur.

ARTICULUS V.

De Metu gestorum Rescissione, illiusque Probatione.

SUMMARIUM.

52. Metum passo ante Exceptio:
 53. Post impletû contractû Actio datur,
 54. Ad rei cum fructibus restitutionem.
 55. Actio etiam datur adversus eum,
 ad quem metu extorta pervenerunt.
 56. Metum inferens intra annum in quadruplum: postea in simplum condemnatur.
 57. Ex metu, in favorem tertii incussò, Actio datur,

58. Metu

58. *Metum alleganti incumbit probatio:*

59. *Qua legitimis modis,*

60. *Testium depositionibus, presumptionibus &c. fieri potest.*

61. *Pro metu duobus potius, quam pluribus contra eum, deponentibus frequenter:*

62. *Non semper fides habetur.*

52. **S**I contractus aliüsve actus, gravi & injusto metu extortus, irritus sit ipsò Jure, eum implendi obligatio non est: ejusq; jam impleti nullita te declarata, repetitur aut restituitur, quod ex eo datum est aut acceptum.

Si autem ipsò Jure irritus non est, eò læso variè succurritur. Et quidem, si donatio aut venditio rei traditione impleta necdum sit, ad eam celebrandam metu coactus eum, qui metum intulit, contractus impletionem petentem, repellit Exceptione Metus, istòque probatò à giudice absolvitur, ne illum impleat, *Glossa in c. Abbas 2. V. Coactus* ubi *Imola n. 7. & Laiman n. 3.* cum enim, ut mox dicitur, metum passio detur Actio, multò magis ei competet Exceptio, *Reg. Inventus 156. §. 1. ff. & Reg. Qui ad agendum 71. in 6.* cum ista majori æquitate nitatur, quàm Actio, *l. Qui aequitate 21. ff. de Except. doli;* atque idcirco non raro, cui denegatur Actio, Exceptio concedatur, *c. Cum inter 5. de Except.* ut dicitur ad *Reg. Qui ad agendum cit. n. 2.*

53. Ad actus autem, v.g. donationis aut venditionis, metu extortæ rei que traditione jam impleta, rescissionem Jure quidem Civili prodita Actio non reperitur; quòd in actibus extortis metu istum passi consensus non desideretur; cum coacta voluntas revera sit voluntas, *l. Si mulier 21. cit. §. 5.* metusque inductus inter duò mala elegerit minus, rêmque donare aut

vendere ac tradere, quàm grave malum, si non donet vendatve, imminens pati maluerit, *Wesembec. in ff. Quod metu causa gesti. pr.* Jure autem Prætorio imprimis metum passio datur Actio, que à primis propositi à Prætorè Edicti verbis; *Actio Quod metu causa nuncupatur;* Quòd enim, inquit ille, *metu causa gestum est, ratum non habebit, l. 1. ff. Quod met. caus.* ut adeò Titius ad rei sue venditionem vel ad pignoris aut syngraphæ redditionem mortis aut alterius mali gratia intentati metu coactus, proposita in iudicio *Quod metu causa Actio*, petere valeat; ut Caius emptor recepto pretio rē ex venditione sibi traditam restituat, vel pignus aut syngrapham reddat, vel debitum solvat, *arg. l. Illud 10. ff. Rubr. cit. Quam Actio*, *Æquitate* secutus Prætor, ei dedit; quòd, licet in venditionem & pignoris vel syngraphæ redditionem consenserit, id tamen mali intentati metu fecerit, non facturus, si malum illud intentatum non fuisset. Cujus ulterior ratio est; quòd ab alio per injuriam incussus metus hunc passio, cum sit innocens, damno, illumque inferenti, cum nocens sit, sua temeritas lucro non debeat esse.

Rescissò autem contractu res, quæ metu extorta fuit, restituenda est cum omnibus fructibus, non solum perceptis à metu inferente, sed & iis, quos illum passus erat percipiturus vel percipere potuisset, si res metu extorta non fuisset, *l. Sed & partus 12. pr. ff. Rubr. cit. in iis simili Lib. 2. tit. 13. à n. 70.* dicitur Rationem Bruneman. in *l. cit. n. 1.* reddidit quia metum passus restituendus est in integrum, *l. Non interest 5. in fine C. De lib. qua vi metusve,* sive in eum statum, in quo fuisset, si metum passus non esset: quod non fieret, si cum perceptis non etiam percipiendi fructus restituerentur, *Glossa*

Glossa in c. Auditis 3. V. Contra reliquam
Zoclius in ff. Rubr. cit. n. 29.

55. Deinde eadem Actio datur non solum adversus eum, qui metum intulit, sed & adversus eum, ad quem metu extorta pervenerunt, licet ipse metum non intulerit: dummodo doceatur metum fuisse incussum, remque illò incusso extortam pervenisse & existere penes eum, qui convenitur, l. Non interest cit. & l. Item si 14. §. 3. ff. Rubr. cit. quia Equitas naturalis non patitur, ut quis ex qualicunque etiam alieno crimine lucretur.

Neque in contrarium facit; quod Actio hæc descendat ex obligatione inducta delicto concussionis seu coactionis, sitque Personalis; ac proinde personam ex delicto obligatam, non rem istiusque possessorem sequatur; quia Personalis quidem, sed in rem scripta Actio est, datûrque contra eos omnes, qui rem extantem possident, atque ita ex metu ab aliis incusso lucrum facere volunt, l. Metum 9. §. fin. ff. Rubr. cit. quâ ratione, licet ab Actionis Personalis natura non nihil recedat, non tamen propterea desinit esse Personalis; cum descendat ex obligatione, ortâ ex delicto, Wesenbec. in ff. Rubr. cit. n. 4.

96. Quod si is, à quo res metu extorta, vel is, in quem ab eo translata est, Quod metus causa Actione propositâ intra annum utilem, conventus & à iudice iustus sententiæ pareat, remque cum fructibus restituat, poenam evitabit. Si verò iudici non pareat, sitque in mora restituendi, accusatâ ejus contumaciâ in quadruplum, cui tamen simplum inest, condemnatur, cit. l. Item si §. 4. & §. Item actio 27. Instit. de Actionibus: quæ poena quadrupli non oritur immediatè ex illato metu, sed ex contumaciâ in iudicem, cujus arbitrio sive sententiæ reus non paruit. Post annum autem, sicut &

cessante contumaciâ intra annum, in simplum tantum condemnatur; cum sit Actio Penalit Prætoria: cujusmodi actiones annum non egrediuntur, pr. Instit. de Perpet. & temp. act. licet quoad simplum, tanquam rei Persecutoria, perpetuè comperat, Wesenbec. l. cit. n. 4. Zoclius in ff. Rubr. cit. n. 30. & Bruneman, in l. Item si cit. n. 9.

57. Demum, si vg. Titio metus à Caio incussum sit; ut vg. fundum vel equum non sibi, sed tertie personæ vg. Sempronio venderet ac traderet, Titio competit Actio duplex. Una Personalis, quâ Caio conveniat ad resarcitionem omnis damni, quod mali ab ipso sibi intentati metu est passus. Altera in rem scripta, quâ Sempronius, licet metum ipse non intulerit, conveniri potest, ut recepto pretiò fundum vel equum restituat, l. Item si cit. §. 5. Ratio est; quia, licet fundi vel equi venditi ac traditi dominium translato sit in emptorem, arg. l. Traditionibus 20. C. de Pactis, Edictio tamen Prætorianò metu extorta venditio, licet Jure valida sit, rata non habetur: sed ejus rescissio permissa est; ut, sicut si contractus initus non fuisset, ex venditione tradita res restituenda sit ei, à quo metu, à quocunque incusso, extorta fuit, Glossa V. Coactus cit. Sanchez Lib. 4. de Matrim. disp. 8. n. 7. & Bruneman, in l. Item si cit. n. 13. id Jure Prætorio sic constitutum asserens; ne metum passo metus sit captiosus, id est; ne in ejus fraudem res venditione aliòve modò valeat alienari.

58. Porro, ut actus aliquis quasi metu extortus declaretur nullus, aut, si Jure validus est, iudicis autoritate rescindatur, metus non allegandus tantum, sed probandus etiam est ab allegante; quia ejus illatio quid facti & delictum est; factum autem, & præsertim delictum
K k k k k commiss-

commisum, non præsumitur, sed probandum est, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & postlim. §. 1. Merito §. 1. ff. pro Socio.*

99. Quomodo autem probari ab allegante valeat aut debeat, dissensio quædam est inter DD. Et Covarruvias quidem *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 5. n. 10.* cum Innocentio *in c. Cum dilectus 6.* id totum committunt arbitrio iudicis, æstimantis, quâ ratione sit probandus: pro eâque Opinione sua allegant *l. Metus 3. ff. Ex quibus caus. major.* quâ Ulpianus, *Non sufficit*, inquit, *quolibet terrore abductum fuisse: sed hujus rei disquisitio iudicis est.* Eandem stabiliunt ratione; quod metus probandi ratio ullo Jure prodita non inveniatur; ac proinde relinquenda sit iudicis determinationi. Verum, quia alias quoque res complures probandi ratio, licet speciali Jure præscripta non sit, ab unius tamen iudicis arbitrio tota non pendet, non est, cur non idem statuatur de metu: & istius quidem qualitas, puta an iustè vel iniuste illatus, gravis aut levis sit, disquisitioni & dijudicationi ipsius iudicis, juxta *l. cit.* relinquatur, qualitatibus autè probatio, an *vg. is*, qui metu dicitur coactus, inclusus carceri, corporis cruciatum passus vel atrocibus minis territus sit, legitimis, sive Jure proditis generalibus modis fiat.

80. Metu itaque contractum vel alium actum extortum, legitimè probari potest non solum per testes, deponentes eum extortum gravis ejusmodi aut similis mali comminatione & probabiliter securâ ejus illatione, nisi is intentantis voluntati fuisset obsecutus: sed etiam per indicia & conjecturas, ut cum recepta Glossa *in c. Cum dilectus cit. V. Merum* & Boërio *Decis. 10.* tradit Flamin. *de Resign. lib. 13. q. 1. n. 99.* & suadet ratio quia metus rarò palam, sed plerumque clam

solet inferri, Glossa *in l. Item §. 1. q. 3. V. Merum ff. hic*: ea autem, quæ clam & secretè fiunt, levioribus argumentis, & terè per indicia & conjecturas probari solent, Malcard. *de Probat. conclus. 1057. n. 4.* cujusmodi sunt; quod de cogendo ad contrahendum præcesserit tractatus, conventio, aut similes machinationes: vel, qui contraxit, in domo aliqua vel loco clauso fuerit detentus: quod post contractum fugerit, ne eum exqueretur: quod in contrahente post actum celebratum insolitus pallor vultus, vocis tremor & similia confternatæ mentis indicia sint observata &c. ex quibus legitimè plenèque probatis, & aliquando in semiplenæ probationis defectum accedente juramento, actum quasi metu extortum, iudex vel declarabit irritum vel rescindet, *cit. Menochius n. 2. & Malcardus Conclus. cit. à n. 44. & conclus. seq. à n. 8.*

Dubium est, an si duo testes metum incussum deponent, ipsis potius quam aliis saltem pluribus de metu non incussum testificantibus sit credendum; Illis enim potius quam his, licet milleni essent, credendum cum Innocentio *in c. Super hoc 5. de Renuntiar. & Baldo in l. Observare 4. ff. de Offic. Proconsul. q. 13.* volunt Alciatus *de Præsumpt. Reg. 3. præf. 7. n. 5.* & alii congesti à Malcardo *de Probat. concl. 1058. n. 1.* Rationem dant; quod ex una, deponentes de libero ac spontaneo consensu testimonium perhibeant de actu interno, cognitio soli Deo: deponentes autem de consensu coacto testificentur de actibus externis scilicet de incarceratione; dura tractatione, minis, pravio tractatu & conventionem, de iis inferendis: qui actus sunt externi, subiecti humano sensui & cognitioni, juxta illud, *Homo videt ea quæ parent, Deus autem insuetur eorum.* Reg. cap.

Reg. cap. 16. v. 7. ex altera vero parte, fides habenda utique potius sit testimonio duorum omni exceptione majorum de re suæ cognitioni subiecta, quam aliis etiam plurimis de re humano sensui & cognitioni non subiecta, deponentibus.

Se, dut hoc ita sit, à mente tamen DD. *citt.* aliena non videtur hac in re distinctio; quantumvis enim duo deponentes de coactione seu violentia illata certò modò, ejusque illata loco & tempore, potiores ac præferendi sint aliis, qui actum omnino liberè ac sponte gestum deponunt; hoc enim deducta ratio evincit: casu tamen, quò coactionem certò modò, locò & tempore, quò alii duo affirmant, adhibitam, alii non solùm majori, sed pari etiam numerò inficiantur, his potius, quàm illis fides habenda est; quia tali casu in utramque partem deponentes de re sensibus suis & cognitioni

subiecta restituantur; ac pròinde quoad hoc sunt pares: cæteris autem paribus fides habenda potius est iis, quorum depositiones excludunt delictum; quòd hoc in dubio non præsumatur, *c. fin. de Præsumpt. & l. Merito § 1. ff. Pro socio, Decius in c. fin. de Appellat. n. 28. & Sanchez Lib. 4. disp. 27. n. 3.*

Quin etiam de spontaneo potius quàm de coacto consensu deponentibus fides habetur, si illi coactum affirmantes metùs illati circumstantias nõ exprimant; ab iis autem, qui spontaneum fuisse asserunt, in eam rem allegentur actùs ita gesti circumstantia, & ex his orta verifimiliores præsumptiones & conjecturæ, ut cum *cit. Decio n. 25. & Jalone in l. Interpositas 13. C. de Transact. n. 5.* observant *citt. Sanchez n. 2. & Mascard. n. 8. & 9.*



TITVLVS XLI.

De in integrum Restitutione.

Sicut vim metùmve passis, sic & Minoribus, Ecclesiis & quibusdam aliis, ob ætatis & iudicii imbecillitatem, administratorum negligentiam, absentiam, aut justum errorem &c. læsis succurritur extraordinariò remediò in integrum Restitutionis, *c. 1. l. 1. &c. ff. hac Rubr.*

ARTICVLVS I.

De Natura hujus Restitutionis & Conditionibus ad eam Requisitis.

SUMMARIUM.

1. Hujus Restitutionis definitio.
2. Conceditur ea adversus validum,
3. Aut dubii valoris actum:
4. Quò minor *vg. se læsum probat,*
5. *Suà, vel Curatoris culpà, aut negligentia:*
6. Si tamen læso notabilis sit:
7. Non etiam si modica, aut minima sit:
8. Vel majus pretium post contractum offeratur.
9. Eà læsus in precio, hujus defectum,
10. Imò

Kkkkk 2